



# The Holy See

---

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

***BELLOVARIENSIS-CRISIENSIS\****

IN CROATIA NOVA CONDITUR DIOECESIS BELLOVARIENSIS-CRISIENSIS.

De maiore spirituali bono Christifidelium sibi creditorum sollicitus, Venerabilis Frater Noster Iosephus S.R.E. Cardinalis Bozanić, Archiepiscopus Metropolita Zagrebiensis, ob incolarum copiam in circumscriptione ecclesiastica sua degentium, ab hac Apostolica Sede petivit ut quodam distracto territorio ab eadem archidioecesi nova conderetur dioecesis. Nos quidem, audita faventi sententia Venerabilis Fratris Marii Roberti Cassari, Archiepiscopi titulo Truentini et in memorata Natione Nuntii Apostolici, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi animarum saluti valde profuturae libenter concedendum esse putamus. Summa igitur Nostra potestate sequentia decernimus. Ab archidioecesi Zagrebiensi separamus decanatus, qui patria lingua nuncupantur: Bjelovar, Cirkvena, Čazma (sine paroecia Vrtlinska), Garešnica, Križevci, Vrbovec et Zelina; atque ex ita distractis locis novam constituimus dioecesim Bellovarensem-Crisiensem, cuius sedem in urbe Bjelovar ponimus, ibique extans paroeciale templum, Deo in honorem Sanctae Teresiae de Avila dicatum, ad gradum et dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus mandantes ut in eadem Capitulum Canonicorum, ad normam iuris, instituatur. Insuper ecclesiam rectoriam, Deo in honorem Sanctae Crucis dicatam et in urbe Križevci sitam, titulo ac fastigio Concathedralis ecclesiae decoramus, cum omnibus iuribus, honoribus et privilegiis atque oneribus et obligationibus quae huiusmodi ecclesiarum propria sunt. Ceterum novam dioecesim Bellovarensem-Crisiensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Zagrebiensi eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi ipsius metropolitanae Ecclesiae subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae statuimus perficienda committimus praedicto Venerabili Fratri Mario Roberto Cassari, eidem tribuentes necessarias et oportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur,

quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Decembris, anno Domini bis millesimo nono,  
Pontificatas Nostri quinto.*

THARCISIUS card. BERTONE  
*Secretarius Status*

IOANNES B. card. RE  
*Congr. pro Episcopis Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Di Felice, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. CII (2010), n. 1, pp. 5-6 © Copyright 2009 - Libreria Editrice Vaticana